



# Disputatio philosophica inauguralis de Deo decernente

<https://hdl.handle.net/1874/347230>

17.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,  
DE  
DEO DECERNENTE,

QUAM,  
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in  
Ecclesiâ Præconis,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu & Subtilissima  
Facultatis PHILOSOPHICÆ Decreto,*

PRO DOCTORATUS in PHILOSOPHIA GRADU, & ARTIUM  
LIBERALIUM MAGISTERIO, omnibusque prærogativis  
rite ac legitime consequendis,

*publica Philosophantium censura exponit,*

HIERONYMUS PEUTEMAN, Goezâ-Zel. S.M.C.

*A. D. 20. Jun. hora loquæ solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō Ioc LXXXIX.

17  
D E O

TER OPT. MAX.

FAUTORIBUS

A T Q U E

A M I C I S.

TRAJECTUM ad RHODANUM  
EX OFFICINA FRANKSII & HARTMANNI, ACADEMICI  
Typographi, sub signo LXXVIIII.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
I N A U G U R A L I S,  
D E  
DEO DECERNENTE.

T H E S I S I.



Cite non minus quam vere antiquitus dictum est, *χαλεπὰ τὰ καλὰ*, *ardua quæ pulcra sunt*. Quod quamvis in omni cognitionis genere sit verissimum, verius est tamen nusquam, quam ubi mens erigitur ad contemplationem earum rerum, quæ infinitas Divinæ Majestatis spectant perfectiones. Enim vero nulla plane inter has & vim cognoscendi in omni creatura finitam existit proportio, quod & evidentissimum iis saltem est, qui quantum, quæ sunt Dei, excedant humana, intelligunt satis; ut merito cum Philosopho dixerim, mentis hominis in hoc unionis statu, ad contemplationem rerum tam excellentium, & tam immensum a sensu remotarum se habere, ut se habet oculus noctuæ ad intuitum luminis meridiani. Quare cum Seneca non mirabimur *tam tarde emi quæ tam alte jacent*. Qua ratione itaque quibusdam hodie rerum spiritualium, maxime Dei & infinitarum ejus perfectionum contemplatio, tantæ dicatur & facilitatis & evidentiæ, ut eas, quamvis non comprehendamus, multo clarius tamen & distinctius, quam ullas res corporeas intelligere possimus? hæc, qui potest, capiat!

I I.

Et quamvis tantarum perfectionum contemplatio nobis homuncionibus tam ardua sit, qui omnium difficillime (ut recte alibi Cartesius) ad illa attendimus, quæ nec sensibus nec quidem imaginationi sunt præsentia; nulla tamen existit & utilior, & sublimior pariter, ac nobis ipsis dignior; non tam tantum ob causam, quod circa id occupetur, quo nihil præstantius, nihil pulchrius; sed quod hic præcipium est, quia hac sine notitia omnia fluxa, omnia caduca. Etenim ut Divinum Numen unice

causa est omnium, quæ in rerum universitate aut sunt, aut esse possunt: sic ejus cognitio ea est, ex qua omnium rerum scientia, evidentiaque, tanquam perenni quadam ex scaturigine, fluunt. Felix enim qui potuit rerum cognoscere causam. Neque ullus in distinctam rei notitiam devenit, qui nesciverit ejus principium, a quo res omnis altius deducenda venit.

## I I I.

Quapropter si ulla omnino meditatio sit, quæ diligentem merito humanæ mentis ad se allicere digna est attentionem, certe hæc nostra est de sapientissimo independentis Numinis decreto. Illud enim omnium futurorum unice causa efficiens est, illud tanquam exemplar & idea est ad quam seu ἀρχέτυπον omnia veluti ἐκλυπη ab ipso Artifice sapientissime in tempore producuntur & gubernantur. Quapropter si ulla de re, de hac certe laborandum est: idque eo accuratius, quo totius religionis magis interest, ne in hujus articuli explicatione cæspitemus. Diffundit se decretorum doctrina per totum Theologiæ corpus, & pro ut fundamenta vel bene vel male hic jacta sunt, eo universum ædificium vel solidius ascendit, vel male statuminatum scædam minatur ruinam. Non enim in maximis erratur, nisi maxime: nec levis potest esse error de ipsis principiis. Idcirco non contenti verisimilibus quibusdam rationibus de Divino hoc persuaderi mysterio, ejus firmitatis argumenta investigare conabimur, quæ nos ipsos non solum de hac veritate convincant, sed & etiam sua claritate clausos aliorum cæco furore oculos perstringant, ut invitos quoque sentire faciant, quam inique laborant opprimere, veram decretorum notitiam. Quare si felici meditatione (favente Divino Numine cujus causam acturi sumus) hic datum fuit attingere verum, majus utique ex hac, quam alia quavis philosophatione & operæ & temporis feremus præmium. Sed jam dudum præfaminis abunde est, ad rem ipsam!

## I V.

Tria in hac Decretorum materia potissimum considerata proponimus I. Deum, II. Objectum, III. Actum. Ad quæ seu summa capita, quæcunque huc spectant, reducenda erunt. Utinam benignissimus Deus Ter Opt. Max. aspiret Spiritu suo huic nostro labori, suscepto non nisi cum sancto divinæ Majestatis tremore! Tu

Da Pater augustam menti conscendere sedem!

Da fontem lustrare boni! Da luce repertâ

In te conspicuos animi desigere visus!

Disjice terrena nebulas & pondera molis;

Atque tuo splendore mica! &c.

## V.

Non jam laborabo, quod hic superfluum ac supervaneum foret, in demonstranda Dei existentia, cum hoc veritatis per se notæ Axioma, quod omni luce existit clarius, efficacissime tam Noëtice, quam Dianoëtice contra Atheorum turmam à multis demonstratum sit, ut hac parte saltem vixitrix stet Dei gloria, & nostra sententia. Sed huic nostræ disertationi ante omnia requiritur ut consideremus. I. Deum esse *Ens necessario existens*, ut impossibile sit illud non existere. Quæ veritas præterquam quod per se sua luce ex terminis innotescat, ex contemplatione rerum contingentium & possibilium, nec non subordinatione causarum abunde liquet. Cum autem hæc existendi necessitas omnem omnino causalitatis rationem sive intrinsecam ratione ipsius Dei, sive extrinsecam ratione alicujus principii extra Deum excludat,

## VI.

Hinc alio conceptu *Ens necessario existens* menti offertur ut *Independens* i. e. ex se & per se *ad existendum sufficiens*, adeo ut seipso modo perfectissimo & ab omni causalitate longe diverso existentiam possideat, quum suam omnes quævis creaturæ suis debeant causis. Cumque hæc independens existendi ratio à parte rei quam maxime realis ac positiva sit, haud male quidam hanc independentiam *Aseitatis* nomine exprimere maluerunt. Non quod judicarunt *perutile ac propemodum necessarium* esse cogitare Deum esse *causam sui*, quasi *suam sibi existentiam aut perfectiones dedisset*, atque ita illum quodammodo *idem præstare respectu sui ipsius, quod causa efficiens respectu sui effectus*. Uti perperam ita alibi Cartesius (contra omnem conceptum causæ quæ suo causato semper natura prior est) nullam aliam ob causam, quam ut argumentum à subordinatione causarum subverteret, quod hoc Axiomate nititur *nihil potest esse causa sui ipsius*. Estne itaque Deus effectus sui ipsius uti causa? Dedit ergo id sibi quod jam habuit, nec tamen habuit quod jam dedit. Quid vero inconcinnius his dici potest? Quanto melius Bradward. de Causa Dei l. i. c. i. *nullum*

## DISPUTATIO PHILOSOPHICA

*Ens esse potest per potentiam propriam: nam omne faciens aliquo modo precedit factum. Sed nihil se ipsum precedit.*

### V I I.

Sed *Ascitatis* nomine hoc indigitarunt à Deo excludendam esse qualemcunque dependentiam ab influxu cujuscumque causæ, quia est per naturam Ens primum & actus purissimus. Atque hæc sunt prædicata, quæ ad intrinsecum ac perfectissimum Divinæ essentiæ existendi modum pertinent, ac rationem ejus formalem sive essentiam quasi constituunt; unde tanquam ex fonte, continuata demonstrationis serie quævis alia ejusdem prædicata in hac decretorum doctrina inferius deducenda erunt.

### V I I I.

Hinc liquet Deum considerandum esse secundo *ut Causam Primam & Finem Ultimam omnium rerum*. Quæ propositionis veritas ex eadem Independentia quæ cum Necessaria Existentia pari passu ambulat, facile deducitur. Quippe omnium rerum existere includit, à Deo independente, qui solus per essentiam suam est qui est, perpetuam & indissolubilem dependentiam. Est enim independentia solius Dei idea nulli alteri communicabilis. Itaque si nulla res esse possit nisi à Deo, nulla permanere in existendo nisi per Deum, nulla quid agere nisi virtute Dei, à quo habet quod existat: ergo etiam nulla res est, vel concipi potest, quæ non habet rationem medii tendentis ad Dei Gloriam ceu Finem ultimum. Quippe qui neque casu agit, aut bruto impetu, neque ad certos fines ab alio, propter independentiam dirigitur, debet sibi esse in producendis rebus finem ultimum, qui nullo modo nisi rationaliter agere & propter suum finem.

### I X.

Quibus observatis vel leviter attendenti apparebit statim, Causam primam (qualem Deum esse jam evicimus) quicquid agit, agere convenienter suæ naturæ i. e. suis perfectionibus. Certe quæ causa per necessariam existentiam, vel independentiam est causa prima & finis ultimus, non potest quicquam agere modo sibi congruo, nisi eo quo existit. Modus enim operandi sequitur modum essendi. Itaque cum Deus sit independens, perfectissimus, liberrimus, simplicissimus, immutabilis & æternus, oportet eundem esse talem in omnibus suis operationibus quæ ipsa fuit ejus essentia vivens.

### X

Removeatur ergo à Deo omnis causa Exemplaris, quasi extrinsecus  
con.

contemplando objectum, ideam quandam conciperet ad operandum. ipse enim sibi est idea omnium rerum, qui non movetur ab externo objecto ad nolendum vel agendum. Neque etiam requirit *praexistens* aliquod *Ens* circa quod operetur: neque etiam determinatur ad aliquam actionem *ex volitione* aut *praecursu* causae secundae; quandoquidem omne illud dependentiae genus, contra omnes Dei perfectiones, eam quae à causa est, involvit atque supponit. Itaque illud *Ens*, in quod haec cadere non potest, ab eodem omnis alterius ordinis dependentia removenda est. Quae demonstrationis infra instituendae fundamenta erunt. Hinc recte *Boëth. de Cons. Phil.*

----- *in cuncta superno*  
*ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse*  
*mundum mente gerens, &c.*

## X I.

Denique tertio loco praeter summi Numinis Independentiam, qua existit prima causa & finis ultimus rerum (ut jam vidimus) notanda maxime est ejus *Spiritualitas* sive *Vita rationalis*. Qua notatur ejus essentia ab omni materia remota, intelligendo & volendo actuosa. Haec etiam ex eadem Independentia deducitur. Quicumque enim Deum agnoscunt causam independentem omnium rerum, eundem illum agnoscere debent sapientissimum. Apparet itaque, cum nihil quod intelligenter operatur, materiale sive extensum esse possit, Deum esse *spiritum*, adeoque viventem spiritali vita, unde summe activus existat, actus purissimus, vivens, ipsa vita, & fons omnis vitae in iis, quae vivere concipiuntur. Spectatur autem ejus essentia, quae ipsa vita est, triplici modo actuosa 1. intelligendo omnia 2. volendo quaecumque 3. efficaci suae potentiae exercitio extra se ponendo, quicquid praeter se existere vult sapientissime. Per intellectum & voluntatem gaudet beatissime se ipso, per potentiam vero semetipsum ad extra communicare queat quibusdam entibus, quae libeat producere.

## X I I.

Unde tres quasi facultates tanquam principia Divinorum Operum conceperunt Philosophi. Prima facultas erit Intellectus tanquam principium dirigens; Voluntas secunda tanquam imperans; tertia Potentia tanquam exequens, ad quae tria omne genus actionum divinarum tam immanentium quam transeuntium revocari debet. Per intellectum novit se, suasque per-

fectio-



fectiones, uti omnes res, quas invenit in suis Ideis, seu thesauris, possibiles, vel etiam ex suo placito futuras, & denique sua providentia efficaci & efficiente actu existentes. Per Voluntatem autem, vel sibi placet in suis perfectionibus, vel decrevit sua attributa & placita patefacere quibusdam operationibus in tempore. Unde ex illa omnium est rerum futuritio, & actualis existentia, uti eorum conservatio. Per potentiam vero exequitur placitum & decretum intellectus & voluntatis, ex quâ junctâ cum aliis perfectionibus oritur quævis rerum possibilitas & actualis existentia. Cumque omnes hæ actiones sint ipsa Dei essentia, non possunt non esse, uti essentia, independentes, simplicissimæ, immutabiles & æternæ, quod in sequentibus notandum erit. Atque hæc jam sunt, quæ tanquam fundamenta nostræ Dissertationis de Deo decernente inculcanda erant.

## X I I I.

Objectum quod spectat, circa quod Deus decernens sua actuositate versatur illud. Dupliciter a nobis concipi potest 1. ut præjacens 2. ut terminans. Per præjacens intelliguntur *possibilia*. Possibilitas rei nihil aliud notat, quam puram putam denominationem, desumptam à potentia causæ, quâ id quod possibile dicitur, aptum est transire à non esse ad esse. Sive brevius, Status creaturæ in potentia suæ causæ, cujus efficientiâ produci potest. Duplex autem statuitur rerum possibilitas, vel extrinseca, vel intrinseca. Illa est denominatio facta à virtute causæ efficientis Dei: hæc sonat meram non repugnantiam in prædicatis rei essentialibus ad existendum. Duplex hinc colligitur itidem Impossibilitas, ex utriusque possibilitatis consideratione facile explicanda.

## X I V.

Cum hæc possibilitas extrinseca meram tantum dicat denominationem (quæ tota relatione absolvitur) fundatam in virtute causæ, per quam quod hæctenus non existit produci potest, recte ratiocinari videntur illi, qui possibilia, quamdiu non existunt, non entibus annumerant. Pari ratione intrinseca possibilitas æstimanda ex rei Ideâ, ac non repugnantia prædicatorum essentialium æque non existentibus quam existentibus tribuenda. Unde à parte rei possibile nil reale dicit, sed denominationem solummodo desumptam ab Idea in intellectu. Frustranda igitur distinctio inter essentiam & existentiam, nec non omnes fictæ entitates nominales. Somniant etiam *Jesuitæ* de possibilibus essentiis realibus rerum creaturarum æternis. Volunt itaque veritates reales fuisse ab æterno apud Deum præter Deum ipsum. Imo essentias rerum æternas esse, & tamen res ipsas, essentiâ constantes in tempore ortas

ortas esse? quasi omnes Veritates æque ac Entitates rerum non forent a Deo dependentes! An vellent potius statuere infinitum numerum, & thesaurum independentem animarum, formarum, essentiarum apud Deum ab æterno fuisse, & imaginarias, nescio quas, rerum essentias creandas in tempore? videant *hec Jesuita* & agnoscant suum errorem.

X V.

Sed de origine & causa sive radice possibilitatis philosophandum est aliquanto accuratius, cum tot difficiles nugæ de hac re tradiderint Scholastici. Optime radicem possibilitatis imo & impossibilitatis hæctenus saniores Philosophi posuerunt in ipso Deo, adeo ut omnis origo possibilitatis petenda sit a Causæ primæ Potentiæ activæ, quatenus Deus concipitur Potens suas perfectiones extra se exprimere, ut ideo quid habendum possibile, quia id Deus suâ Potentiâ producere potest. Quod ex ante dictis manifestum est. Nam si omnis Possibilitas fundata sit in Virtute causæ agentis (ut jam vidimus) intelligetur facile ejus Radicem a Potentiæ Causæ primæ derivandam esse. Imo Entitas & Realitas omnium rerum fundatur in Dei Potentiæ & Sufficienciæ, consequenter etiam earundem possibilitas. Nam Deus in quantum est Ens per Essentiam, in tantum etiam est fons totius esse, & Ens entium. Posita enim, Potentiæ Dei infinita ponitur possibilis Creaturæ Entitas, cum sit de perfectione Entis summe perfecti ad extra operari posse. Ponuntur ergo posita infinita Dei Potentiæ, ipsa possibilia, possibilis operatio ad extra, possibilis quorundam Entium Existentiæ.

X V I.

Verum disputatur utrum Possibilitas intrinseca prior natura sit Possibilitate extrinseca i. e. an res ideo possibilis sit quia Deus eam potest producere aut contra, an Deus ideo rem potest producere, quia possibilis est, adeo ut non subsistendum sit in Potentiæ Dei, sed aliqua ratio prior reddi debeat, cur hoc Deus possit illud vero non possit. Sed totum hoc negotium confici potest, si attendamus ad rationalem Essentiæ Divinæ operandi modum, juxta tria illa principia operandi (de quibus §. 12.) dirigens, imperans, & exequens. Causam nimirum rationalem, quia Rationalis, nihil per potentiam suam, seu principium exequens producere aut exequi, nisi juxta Ideas in suo intellectu seu principio rerum producibilium formatas, per se clarum est. Si itaque secundum naturæ ordinem in rationali operatione, producibile concipere, prius erit quam producere: utique secundum eundem ordinem, in rationali operatione, producibile concipi

posse, prius erit quam produci posse. Apparet itaque ultimum possibilitatis fundamentum resolvendum esse in Intellectum divinum, quatenus suarum Perfectionum ad extra expressibilem est representativus. Consequentur res ideo possibilis erit, quia Deus eam potest producere, eam autem Deus producere potest, quia in rei expressibilis Idea in Divinis Perfectionibus contentæ, nulla involvitur contradictio. Atque hoc sensu Possibilitas intrinseca extrinseca Possibilitate prior dicitur.

## X V I I.

Hinc quæcunque contradictionem non involvunt, ea potest Deus ob suam Omnipotentiam & sufficientiam, quæ vero eam involvunt non potest Deus ob suam Sapientiam. Cæterum si spectes potentiam Dei absolutam & ordinatam, eadem res quandoque Deo possibilis & impossibilis dici potest, imo plurima ipso facto impossibilia Deo erunt, quæ secundum se spectata in Potentia summi Numinis possible dici possunt ac debent. Illa enim nullam relationem ad Dei decretum notat, hæc in Dei decreto fundatur. Verbulum de ultimo possibili, num id a Deo ipso facto, produci possit, si ad infinitas Dei perfectiones attendas, negandum videtur; nulla etenim finiti ad infinitum existit proportio, utique etiam nec inter res creatas quantascunque sua natura finitas, & potentiam Dei Perfectissimam infinitam. Concludo ergo nullam perfectionum amplitudinem tantam esse posse quæ divinæ omnipotentiae plenitudinem exhauriat, adeoque reipsa Essentia divinæ adæquata sit.

## X V I I I.

Ex quibus omnibus apparet perversa philosophatio quorundam hodie, omne possibilitatis fundamentum ad solam Dei voluntatem referentium, ita ut illius solius determinatione hæc vel ista res possibilis sit alia non item. *Descartes* part. 1. epist. cxv. Sed falsitas hujus hypotheseos ex ante dictis clara est, quandoquidem quævis possible denominantur possible propter dependentiam a potentia alicujus causæ agentis, ergo quæ Deo possible dicuntur referenda erunt ad Divinam Potentiam, tanquam ad Radicem suam, non autem ad Voluntatem. Certe, quid aliud est divina Potentia, quam infinita ejusdem perfectio seu sufficientia, quatenus ab illâ finitæ quædam perfectiones, seu rivuli profluere possunt, quæ eadem perfectiones spectatæ ut dependentes a prima perfectione seu fonte, sunt ipsa possible; itaque uti Deus ante omnem voluntatis actum pro modo concipiendi nostro Omnisufficiens & Omnipotens est, etiam ante omnem actum voluntatis possible quæ cum Potentia divina immediate cohærent, tanquam talia agnoscuntur.

scuntur, falsum itaque est possibilea, qua talia ad voluntatem referenda esse; sed solius intellectus ac potentiae divinae consideratio hic sufficit, cumque ipsa possibilea cum perfectione Causae primae intellecta a se tanquam expressibili cohaerent immediate, quam perfectionem Deus cum non possideat vi decreti, ergo neque possibilea ex decreto facta, sunt possibilea. Tandem datur scientia Dei ante decretum, ergo & objectum, quod est non tantum ipse Deus, sed etiam possibilea, nequit enim Deus semetipsum contemplari, quin se ipsum cognoscat potentissimum, quique in sua essentia eminenter complectitur possibilea creaturae perfectiones, quas extra se producere potest. Ergo omnis possibilitas non fundatur in Dei Decreto. Taceo monstrifica cum hac hypothesi connexa. v. c. nihil est possibile absolute nisi quod est futurum & quod futurum non est, possibile dici nequit. Hinc omnis Dei scientia visionis est. Possibile potest esse impossibile & contra. Consequenter Deum potuisse efficere ut contradictoria sint vera. Similiaque absurda, imo impia quae tueri necesse habent & revera tuentur. Utinam suae theos meminisse vellent *Deus potest fallere si velit.*

X I X.

Possibilitatem rerum excipit earundem *futuritio* & *non futuritio* tanquam Objectum terminans seu potius determinatum dicas. Futurum & non futurum quando dicimus, denotamus Rem, quae cum nondum sit, ad hoc tamen est definita aut determinata, ut existat aliquando aut nunquam existat. Si enim ad hoc determinata non sit, non magis futura dici posset, quam non futura & contra. Tota igitur futuritio consistit in determinatione rei possibilea ad hoc, ut existat aliquando vel nunquam existat. Sub futuritione comprehenduntur tum Praesentia tum Praeterita, cum enim illa omnia antequam existerent, futura fuerunt, consequenter determinata ut sint aliquando; quod & in omni futuro obtinebit, quando actu existet.

X X.

Itaque prodit hic statim semetipsam fatuissima Epicuri fatuitas; (cujus vestigiis insistent hodie Sociniani) nescio quid insanientis, de *Cæca Fortuna* & *mero Casu*, quo volvantur rerum omnium in hoc universo Vicissitudines absque ulla determinatione. Et tamen bonus ille vir videri voluit agnoscere Numinis existentiam. Recte tamen existimarunt ante me Eruditi, parum revera eum ab Atheismo ab fuisse dum finxit sibi Deum Immobilis, placidae, & stupentis Divinitatis, adeoque non Deum, non Deum, sed Idolum, revera Atheismum professus, quem dissimulavit.

animo. Verum ad refutandum cœcum Epicuri furorem multo apparatu non indigemus. Cum in omnes Divinas Perfectiones ante positas non uno modo ariet hoc Dogma. Certe ut ante, vidimus, neque Deus est, si non sit Perfectissimus, Independentens, Ens Primum, Sapientissimum, omnium rerum Conscium & ultimus rerum Finis, quique summum in quæcunque Creatæ & Finita non habeat Imperium, atque qui potest talis agnosci, si omnia Casu & Fortuito fiant. Saltem destruit Independentem, Immutabilem, æternam infallibilem Dei Præscientiam hoc impium Dogma, uti & Voluntatem ejus liberrimam, quæ debet agnosci talis, qualis est ejus Essentia, & quorsum omnis Providentia? quæ nulla esset, si hoc verum foret: Infinitas rationes suppeditat hujus Universi Harmonia, Vicissitudo, Constantiaque. Imo ipsa futuritionis vox involvit Connotationem alicujus causalitatis, qua aliquando erit quod hactenus non est: si sic, utique ejus causa nequit esse fortuna aut Casus, obstat enim certus futurorum selectus. Imo quid causæ esset, cur non, quot possibilia, totidem sint futura?

## X X I.

Sed ut ad rem ipsam quæ præ manibus est, veniamus. Investiganda est ratio quare Possibile Futurum dici potest. Saltem possibilitas (ut somniant *Jesuitæ*) nullius rei potest esse causa, multo minus sufficiens ratio propter quam res est determinate futura. Etenim quod ex se hactenus merum nihil est, nullam etiam sibi determinationem tribuere potest ad hoc, ut aliquando, potius, quam nunquam, existat. Imo si detur formalis ratio omnium futurorum, tum omnia sunt futura, Futura enim Futura sunt in suis causis formalibus, Itaque si possibilia quia possibilia, sunt futura, omnia, quæ contradictionem non involvunt, cum sint possibilia in ordine ad Dei potentiam, erunt determinate futura, qua propter res possibiles non possunt evadere futuræ ex se & ratione materiæ intrinsicæ. Deus enim sic per liberam suam voluntatem plura aut pauciora Futura & Præsentia efficere non posset quam de facto sunt, quod absurdum est. Itaque causam suæ futuritionis requirit quodvis futurum extra se, talem sc. quæ effecerit ut de futuro nunquam vere dici potuerit, fuisse aliquando non futurum. quod enim aliquando futurum est, ab æterno tale fuit, æterna igitur Futuritio requirit æternum sui fundamentum.

## X X I I.

Illud autem excogitari non potest in ipsis Causis secundis per modum Fati seu considerentur ut substantiæ, aut accidentiæ, vel etiam actiones; aut circumstantiæ. Quod ut intelligatur clarius. Verbulum de Fato dicendum est.

est. Triplex statuitur Fatum 1. *Physicum*. Quod nihil aliud est quam ordo & series Causarum naturalium ad effectus suos definitarum, quarum necessitas est naturalis. Ejus principium est Natura, seu vis agendi, quam Deus in creatione indidit. Effectus sunt omnes illi eventus qui a causis naturalibus per se pendent. Sed huic Fato opponuntur ea quæ a libera Homini voluntate pendent aut etiam casu fiunt. 2. *Mathematicum* quod Chaldæorum est, dicitur alias *Astronomicum*, estque hoc fatum Necessitas rerum & Eventuum, quæ ex Cæli aut Siderum Positura sive Constellationibus oritur, qua non modo elementa & corpora mixta, sed & voluntates hominum ad actus suos necessario impelluntur. Sed cum recta ratione & universali Experientia pugnat reverea & hoc Fatum.

XXIII.

Tertium Fatum (quod hic notandum erat) est *Stoicum*. Estque naturalis quidam Ordo, & Connexio Rerum omnium ab æterno, aliis ad alias consequentibus, & immutabili manente hujusmodi complicatione. Vel Ordo & Series causarum, quum causa causæ nexa rem ex se gignit; cui Deum ipsum subjiciunt & alligant. Sen. c. 5. de Prov. Unde omnem rei futuritionem deducebant Stoici. Sed satis fatue. Non patitur hoc monstrum perfectissima Dei Essentia, independens Dei Scientia, libera ejus Voluntas, & absoluta Potestas & Dominium, quod per Providentiam suam realem & moralem in omnes creaturas pro suo arbitrio exercet. Non patitur inquam hoc monstrum intima creaturarum per omnia sui a suo Deo Creatore, Gubernatore, dependentia. Ea enim cum tanta sit quanta esse potest, non finit Deum constringi tali connexionis rerum fatalitate, qui quæcunque vult, facit citra omnem necessitatem. Sic corrueret Fides, Spes, Fiducia in Deum Precibus & Gratiarum Actioni nullus foret locus, si bona & mala, res secundæ & adversæ, ex tali fatalitate promanarent. Sic enim est in Fatis. Sed an omnium Stoicorum hæc fuerit sententia non satis liquet. Vide hanc in rem Retorf. de divina Prov. cap. x.

XXIV.

Itaque omnis ratio futuritionis fundatur in ipso Deo. Quod explicandum pressius. Non tamen 1. in Dei Scientia aut Intellectu. Futura enim non sunt Futura quia Deus scit aut intelligit: estque tantum Principium dirigens non imperans. Neque 2. futura aut non futura sunt ex Dei Omnipotentia, ex qua dumtaxat sunt possibilea vel non possibilea uti vidimus. Nec etiam 3. ex necessaria Dei Existentia quasi Deus necessario teneretur futura efficere, ideo quia necessario existit, ut sic perperam Spi-

nosa. Sed tandem ex summi Numinis libera Voluntate atque Decreto. Aliud enim nullum æternum futuritornis fundamentum excogitare datur, præter æternam æterni Entis Voluntatem, cujus æterna definitione, quod unquam futurum vel non futurum dici potest, jam ab æterno futurum vel non futurum fuit. Neque futurorum contingentium Contingentia huic Dei Decreto quiquam obstat, illud enim sua prædeterminatione rei cuique suas quidem aptavit Causas, sed secundum Naturam suam non tamen necessarias, & immutabiles, certoque nexu per se cum effectu cohærentes, atque hoc solo intuitu res dicitur contingens. Aliam Contingentiam, quam quæ refertur ad Causas secundas, non patitur perfectissima Dei in causando independens Natura.

## X X V.

Atque sic ad tertium, quod explicandum erat, sponte delabimur, *actum* videlicet, à quo libera futuritio dependet. Ex ante dictis supponendum est Deum spiritum esse ad cujus Naturam pertinet Voluntas, itaque cum intelligi non possit, quin Deus amet se ipsum necessario, & simul tamen libere suas Perfectiones exercere possit, fieri nequit, ut Voluntas Dei non concipiatur ut necessaria ac etiam libera. Qua autem ratione, explicandum est fustus, ut perversæ Opinioni Spinosiæ satisfiat. Observa igitur 1. Si Voluntas Dei spectetur ut actus vitalis Essentiæ divinæ qui unicus est & permanens, illa non potest non esse necessaria. 2. & id verum est; Deo necessario existenti non posse accedere intrinsicum & novum actum volendi, qua propter ad ipsum actus volendi exercitium minime quoque indifferenter se habet divina Independentia. Neque enim plane non velle potest, qui se saltem non-velle non potest, cum actus volendi secundum se perfectio sit, idcirco à perfectissima Dei Natura inseparabilis. 3. sed eadem illa Voluntas qua Deus non potest non velle, ob suam Independentiam, abunde ostendit, Deum hoc aut illud præter se velle summa cum *ἀδιαφορία*: cum omnia quæ extra ipsum sunt, nullam necessariam cum natura Dei perfectissima habeant connexionem. Quapropter Deus pro suo liberrimo Domino, indifferenti Voluntatis Determinatione, rerum quarumcumque status contingentes, affectiones, nexus &c. definire potest, ad hoc ut sint vel non sint, tales & tales, sic & aliter. Atque ita Actiones Dei ad intra necessarias, ad extra autem indifferenter liberas esse constat. Quapropter nequaquam sequitur (ut vult Spinoza) ex eo quod Deus sit necessario Existens, quod debuerit ex Naturæ necessitate produxisse, quæ produxit. Quod enim necessario est & necessario agit, potest agere libere, adeo-

Adeoque necessaria Dei Existentia cum ejus Libertate facile consistit. Neque una perfectio per alteram negatur, quin ponitur potius. Nam si Deus ageret ad extra pure naturaliter, ageret secundum ultimum potentia, quare & necessario, infinite, essetque ejus effectus infinitus, quod absurdum. Agit ergo ad extra libere, Deus necessario existens. Quippe Creatio sive rei Productio non ponit quid actus intrinseci, & novi in Deo, sed tantum novitatem existendi in productis vel creatis, ideo quod Deus actus purissimus voluerit, hic & nunc hoc vel illud existere. Imo Relatio, quæ Deo per creationem accedit, non nisi rationis est. Quare non necessum est dicere, Deum necessario existentem debuisse semper esse Creatorem. Quia hæc productio non foret creatio ex nihilo, sed potius Emanatio & Essentiatio quædam, qualis in Sole conspicitur, atque sic productum non foret contingens sed necessarium, quod solius Dei est, qui, quia necessario est, rem producit vel non producit libere. Sed rem prosequamur.

## X X V I.

Dixi, Decreto definita esse Possibilia, ad hoc ut sint futura; huic actui quatenus summa veluti præluceat sapientia, Consilium quandoque dicitur, remota tamen omni ignorantia, addubitatione, & successivo mentis progressu, qui in nostris consiliis locum habet, cum Deus sit infinite Perfectus, Omniscius, & Immutabilis. Etiam Præcognitio nuncupatur ob practicam futurorum scientiam, quæ hunc decernendi actum comitatur. Ut autem intelligatur, quomodo hæc Dei Voluntas sive Decretum faciat res futuras, concipiendus hic erit per modum actus purissimi, qui unico actu simplicissimo volens, disponens & ordinans illa, quæ seu media ad summum finem adhibere placuit: adeoque seligens ex omnibus possibilibus, in infinita sua Sufficientia contentis, illa, quæ futura forent. Cumque autem asserimus, circa non futurum æque ac futurum versari Dei Decretum, duplex actus Voluntatis positivus hic concipiendus erit. Unus quasi Reprobationis alter Electionis. Reprobationis inquam, quo Deus possibilia non futura non tantum negative non voluit esse talia, sed vere positive decreverit ea non futura.

## X X V I I.

Acquiescet istis facile mens, quandoquidem possibilia qua possibilia non proficiunt è Statu & Classe Possibilitatis ex se ipsis & intrinsece, uti jam vidimus. Cumque *non futurum* plus dicit quam merum possibile, requeritur itaque aliquod non futuritionis fundamentum ultra id quod est mere possibilitatis. At dicere non sufficit, Jesuita. *Negative omnia esse pure non-en-*



*ria & pure impossibilia, neque enim, ut non entia sint, indigere Ente, ergo neque primo Ente.* Cum sola decernendi non Actio rem mere possibilem à non futura, qua tali, non distinguat: ea enim antecedenter ad Decretum in signo rationis circa pure possiblem considerari potest. Itaque tam impossibile est non Futurum à se & intrinsece esse non Futurum, quam impossibile est Ens per participationem esse absque Ente primo & per se, aut Ens esse præsens, vel præteritum, & tamen non futurum. Possibilia quævis suâ natura decernibilia esse, per se patet; ergo neque etiam ab infiniti & perfectissimi Decreti Amplitudine, ad omnia, quæ ejus objectum esse queunt, se extendentis, minime removenda. Profecto, si nihil extra se Deo liberrimo producere placuisset, omne ab eo removendum foret Decretum, si hoc de non futuris, non statuatur. Tandem novit Deus omnia non futura, non perscrutando Rerum futurarum Ordinem ex Decreto constitutum, atque inde quid non futurum sit, ex opposito concludendo: non patitur hunc imperfectum cognoscendi modum perfectissimus ejus Intellectus; itaque ex Decreto quo possiblem, non futura constituit. Recte Bradward lib. 1. cap. 15. *non habet Deus ab aeterno suspensam voluntatem in possiblem nunquam futura.*

## X X V I I I.

Sequitur secundus actus, *electionis* videlicet. Quo Deus positive, ex omnibus possiblem in sua Sufficientia fundatis ea selegit, quæ in Regno suo morali & reali futura esse voluit, ad manifestandam Potentiæ & Sipientiæ suæ gloriam. Futuratio autem hæc, quandoquidem non nisi rebus non existentibus competit, quarum nullæ sunt affectiones, hunc actum Dei immanentem esse abunde ostendit. Spectatur autem hic Actus primo *immediate*, respectu Efficientiæ Divinæ, quo vel aliquid ex nihilo producere in tempore, aut etiam in suo Regno aliquid futurum fore absque Causarum secundarum concursu, voluit & decrevit liberrimus Deus: quique Creaturarum legibus superior, ab iisdem, quotiescunque placuerit recedere potest. Huc spectant miracula, dicta *nature quedam exceptiones*, quæ non fortuito aut Casu, sed ipsius Dei sapientissimo Consilio eveniunt, ad declarandum manifestandumque in Creaturas suas supremum ac independens Imperium. Sed de iis minus nobis laborandum, cum nos qua Philosophos ferme lateant. Secundo, consideratur hic actus decernendi *mediate*, quo Deus mediantibus Causis secundis, sive minimis, sive maximis, contin-

gen

gentibus & liberis, naturalibus & necessariis, possibile quævis in eodem suo Regno determinavit ad hoc ut sint futura.

## X X I X.

Operæ pretium erit, hic aliquanto diligentius demonstrasse qualemcunque rerum futuritionem ex Dei Decreto originem habere, atque adeo nihil esse futurum nisi ante decretum, quod nullus dubitaverit, qui antecedentia introspexit. Sane ante divinam voluntatem omnia ut possibile spectantur, ac prout possibile radicem suam habet in Deo, ejusque infinita potentia, ita non potest non in ipso fundari omne futurum, qui independens, causa prima & primum verum est & manet. Aliàs cum rerum futuritio sit æterna, statueretur tale fatum, quo majus fingi non potest, cuique ipse Deus foret alligandus. Profecto nullus qui providentiam admittit, hoc nostrum decretum, passim æterna providentia nuncupatum, negare potest. Deinde præscientiam futurorum contingentium & actionum liberarum sibi vindicat perfectissima Dei essentia, immutabilitas, & æternitas; itaque fundamentum æternæ infallibilis scientiæ, ac divinæ, non potest non esse certissimum ac divinum: Deus enim nil nosse dependenter ab alio potest. Futura itaque quæ futura sunt, ex se novit: in Deo utique fundamentum continetur, verum nullum aliud excogitare datur, præter hoc divinæ voluntatis decretum, quo actiones hæc aut illæ, quas futuras novit, futuræ sunt, quia se illas ad futuritionem ordinasse intelligit. Itaque ridiculum prorsus est, concipere quicquam futurum consequenter ad Dei decretum aut ejus præscientiam determinari ab objecto aliquo finito, quod ex se futurum concipitur, præter ipsius Dei voluntatem. Certe Dei voluntatem, concipere indeterminatam & suspensam usque ad rerum actualem existentiam & non actualissimam ab æterno circa omnia futura & non futura, essentiæ divinæ prorsus repugnat. Est quippe æterna, immutabilis, simplicissima & actus purissimus: hinc voluntas ejus non potest non se habere antecedenter uti ad omnem rerum existentiam, sic etiam ad omnem rerum quarumcunque futuritionem. Hoc sibi soli vindicat Ens primum & independens, omnis veritatis causa & radix. Imo hoc Dei Decretum confirmat ipsa creaturarum natura. Illa dum nondum existit non potest suos actus reddere futuros, cum per se sint & per naturam suam possibile; requiritur ergo causa, quæ fecerit eos futuros: & quæ alia excogitabitur quam hæc Dei voluntas? Quæ dum independens est non potest consequi creaturæ actum, semetipsum determinantis: neque patitur Dei voluntas, ut id tantum velle posset & de

facto velit, quod creaturas volituras prævidit. Indigna revera independenti Deo foret hæc Philosophatio. Tandem amplius urgeo, uti nihil est non futurum nisi ex decreto, sic nihil nisi ex eodem futurum concipi debet. Negatur alias Deo in omnia possibilia & creata summa libertas & imperium. Si neget hoc Jesuita, quærere lubet, quare hoc aut illud est non futurum & quidem ab alterno? cum fueri tamen potuerit ut sit futurum? an scilicet, quia creatura libera, ab æterno illud aut hoc agere noluit? sic fuit ergo in fati, nec Deus ab æterno per omnipotentiam non potuit id futurum facere, quod ab æterno, & quidem se inconsulto, non futurum videt. Egregie! faveant sic Jesuitæ suo indifferenti arbitrio! pereat potius nostra libertas & maneat Deo absoluta potestas ac liberum in omnes creaturas Imperium.

## X X X.

Altioris autem indaginis erit, ut animus in hac veritate confirmetur amplius, inquirere modum, quo Deus noster concipitur volens. Certe voluntas divina non nisi perfectissimo modo actuosa concipi potest. Quapropter observandum ante omnia erit hoc Dei decretum esse 1. *Independens*. Est enim, prout notat actum vitalem Dei, aliud nihil, quam essentia divina volens. Sic philosophari docet perfectissima Dei natura, quæ simplicissima & immutabilis est, adeo quidem, ut quod est in Deo, sit revera ipse Deus. Imo unumquodque naturæ suæ convenienter operatur, quicquid operatur, ut ante demonstratum est: itaque cujus essentia est ipsa independentia, illius quoque activitas non potest non involvere omnimodam independentiam. Idque eo magis innotescit, quoniam res eo præstantior perfectiorque dicitur, quo pleniori independentiæ jure fruitur. Quapropter ab illius decreto omnis omnino dependentiæ species removenda erit, cujus essentia est ipsa perfectissima independentia, quique a nullo dependere potest. Non saltem ab aliquo a se independente? Contradictorium foret præter Deum concipere Deum, a quo Deus dependeret, cum præter Deum nihil quiquam existit, quod ab ipso solo non dependeat uti scienter ita & volenter. Ita ut luce meridiana appareat clarius, nihil quicquam excogitari posse, a quo dependeret voluntas decernens illius, qui nihil extra se agnoscit, quod a sua voluntate non prorsus dependeat. Uti demonstratum dedimus in principio, nullum objectum, vel causam præcategoricam aut simile quodpiam exemplar excogitari posse, a quo dependeret Numen independens, quare nequaquam agnoscenda erit, Dei voluntas in decernendo dependens, sed potius tanquam norma unica & mensura rerum volitarum futurarumque independens.

XXXI. Atque

## X X X I.

Atque hanc summi Numinis decreti independentiam comitatur 2 omni-  
moda ejus simplicitas. Tenendum est accurate, non dari in Deo varia  
decreta, vel varios actus volendi, sed è contra Deum unico actu simplicissi-  
mo omnia decernere. Sunt quidem decreta varia objective, & terminati-  
ve, at non subjective, quatenus notant actum Dei vitalem & immanen-  
tem. Omnis diversitas actus repugnat divinæ simplicitati & summe uni-  
tati, per quam in Deo non sunt res & res, aut aliqua compositio ex actu  
& potentia, accidente & subjecto. Sed omnis quæ hic concipitur distin-  
ctio meræ rationis est. Hoc docet Divina perfectio, quæ non concedit  
in Deo quid esse imperfectionis vel in ipsius actionibus. Itaque hoc Dei de-  
cretum est ipsa voluntas Entis independentis & Causæ primæ simplicissima,  
atque adeo simplicissimum esse debet, si convenienter de Deo sentire &  
cum reverentia de ejus Majestate cogitare velimus. Quod objiciunt, de  
volitione Dei ab essentia ejusdem revera necessariò diversa, eo quod vo-  
luntas necessaria sit, & decretum liberum, nullius id momenti esse, evin-  
cunt satis, quæ modo ante tradita sunt de ipsius scilicet actus volendi  
necessitate ad intra, conjuncta cum libera & indifferenti istius actus neces-  
sarii, circa hoc aut istud objectum qua contingens consideratum, deter-  
minatione ad extra.

## X X X I I.

Sed porro. 3. Cum decreti simplicitati pari passu ambulat ejusdem im-  
mutabilitas. Quod enim perfecte simplex est & cum essentia Divina unum  
& idem, non potest non esse immutabile, cum nulla mutationis aut muta-  
bilitatis causa detur, a qua Independentis & sapientissimum Numen depen-  
deret. Non saltem extrinseca, cum nihil velle potest independentem a se,  
nec etiam ulla ratio cogit Deum, quare ipse mutet suum consilium propter  
aliquid in se. Cum nihil in se ipso quod secum pugnat, contineat. Si  
subeat enim mutationem hoc Dei decretum, vel in parem transfret sta-  
tum, vel in melius mutaretur, vel in deterius: istud dicere ridiculum fo-  
ret: horum quicquid dixeris, omnimodam imperfectionem hoc implicaret,  
cum omnis consilii mutatio vel ex mera animi levitate, imprudentia aut  
etiam impotentia oriatur. Sed verosimile quid affingere Deo sapientissimo,  
stoliditatis profecto signum foret; imo (ut plus dicam) divinitatis abnegatio.

## X X X I I I.

Ex dictis sponte sequitur 4. Hoc Dei decretum esse *æternum*, expers  
principii, carens fine, nullique successioni obnoxium. Est enim vo-  
luntas

luntas Dei æterni. Quare & nullum decretum Deo accedit in tempore, quasi consilium caperet hic & nunc, non aliter ac nos homines, quorum est in tempore vivere, mutari, & pro re nata velle, prout intellectus judicat volendum esse. Hinc & hoc Dei decretum non nisi *absolutum* concipi potest. Variis autem modis appellatur absolutum. 1. Quia est *liberrimum*. Est enim actus summæ & absolutæ potestatis, summi & absoluti Juris in omnia entia: Deus enim quicquid vult facit. 2. Absolutum dicitur, quia est *Independens*, idque ab omni causa externa, quæ concipi possit, ut conditio volendi, a qua tanquam ab hypothese externa in ipsis creaturis fundata, moveretur Deus, aut actus ejus suspenderetur. 3. Absolutum est decretum, quia Deus ut *Causa absoluta determinat omnem futuritionem*. Adeo ut certo futurum sit, quodcunque a Deo est volitum. 4. Denique absolutum decretum est, quia est omnino *Immutabile, irrevocabile*, atque *efficacissimum*, quod semper suum sortitur effectum & complementum.

## XXXIV.

Atque hæc omnia opponenda sunt Adversariis: illis non tantum qui hoc Dei decretum negant, quales sunt, qui aut Epicurismum somniant, aut fatum Stoicum introducunt. Eorum insania (præterquam quod illa abunde refutata sit, quando de fortuna & multiplici fato supra agebamus) ex his jam proxime demonstratis, penitus prostruitur, ac omnium ludibrio exponitur, quamobrem plura non dicam, dum hæc sufficiant. Sed præcipue cum iis aliquanto pressius agendum erit, qui non tam negare conantur hoc Dei decretum, quam tale potius fingere, quale possunt conceptæ de libero arbitrio opiniones. Isti sunt Remonstrantes eorumque Doctores Jesuitæ. Multa huic decreto subducere mallent, si auderent. Dumque ejus rei pudet ipsos, tale proferunt, quod a causis moralibus dependet, atque temporariam originem habet; quod multiplex sit, ambulatorium, ac diversum; quodque repugnat omnibus Dei perfectionibus. Atque adeo dum tale ponunt, revera tollunt. Distinguunt Dei voluntatem, atque adeo decretum, in Efficax & Inefficax, Absolutum & Conditionatum, Antecedens & Consequens, Generale denique & Speciale. Nos vero nullum decretum agnoscimus divinum quod non a parte sui sic Efficax, absolutum, Antecedens, & Speciale. Huic sese opponunt superbe Libertatis defensores, dum Liberos suos actus Divinæ Providentiæ submittere nolunt. Volunt quæ ad eam actionem Dei actionem Creaturæ, divinam voluntatem humanam voluntatem consequi. Habuerunt juxta ipsos res ex Conditione futuræ suas connexiones, adeoque conditionatas Futuritiones,

ritiones, eas ratas voluit Divina voluntas. Non quod illas connexiones fecerit sua voluntate, sed eas prævisas, suo decreto approbavit. Hinc illud mere conditionatum, fingunt præterea propositiones innumeras fuisse ab æterno verissimas, videlicet si homo ponatur in tali statu hoc aut illud pro innata libertate aget efficietque. Propositiones has novit Deus, non scientiâ visionis, verum scientiâ mediâ, quam conditionatam vocant, hanc tandem sequitur Decretum Conditionatum, quo statuit illas ratas esse & mansuras. Erudite quidem! quid enim faceret Deus? Futurum certe fuit futurum, neque debuit Deus Scientiam Mediam fallere.

X X X V.

Ex quibus omnibus abunde patet Decreta hæc conditionata, in Deo consequi, æternam connexionem actus cum conditione, ut cognitam per Scientiam Mediam. Adeoque nihil aliud sunt, quam Decreta approbativa connexionis, inter actionem & conditionem, ex qua illa suspenditur. Sic *Fonseca* *Metaph. lib. 6. cap. 6. possibilis*, inquit, *ac vera prædefinitio actuum librorum futurorum nihil est aliud, quam approbativum Decretum Divine Voluntatis, quo Deus absolute vult ut sint futuri*. Absolute, inquit, quid enim fecisset Deus? debuit velle quod intervertere non potuit. Sic eodem sensu *Jesuita, Vasquez* concipit Decretum concomitans. Perfractæ enim non vult, divinam Voluntatem, nostram antecedere, ejusque actus præfinire antecederet. Quibus intellectis, innotescit abunde Adversariorum Sententia. Utinam convenienter Deo & Creaturis Philosopharentur! Ad examen itaque! Et videbimus nullum Decretum agnosci posse divinum, quod non sit Absolutum. Idque demonstraturi erimus ex duplici fonte 1. ex contemplatione Dei 2. ex ipsa Creaturarum Natura.

X X X V I.

Per Deum intelligimus (uti apparet ex ante dictis) *Ens necessario Existens*. Hinc concipitur ut Independentens, Ens entium, *Causa Prima*, Simplicissimum, Immutabile, Æternum, Potentissimum, & summe Adorabile. Atqui illa omnia Attributa, absolutum in Deo probant Decretum, Conditionatum penitus rejiciunt. Quæ veritas tantæ evidentæ est, ut ne Mathematicæ Demonstrationi quicquam cedat, tam innumera argumenta, ex attributorum Dei consideratione, omni exceptione majora menti offeruntur, ut nesciat animus Divinæ Majestatis reverentiâ imbutus, quo se primum vertat. Verum enim verò sive mens conjunctim contempletur divini Numinis perfectiones, sive unumquodque Attributum in se, ubique statim se offert hæc veritas, nullum Decretum posse agnosci divinum,

vinum, quod non sit Absolutum. Hoc Postulat Perfectissima Dei natura. Quippe Decretum quod perfectissimum est decet Deum perfectissimum, atque tale est Decretum absolutum, uti è contra Decretum, quod multas imperfectiones includit, Deo competere nequit, quale est Conditionatum. Quis vero dubitabit illud perfectius esse, quod est summæ, liberrimæ & absolutæ potestatis, quam hoc quod creaturæ Volitionem expectare, ac sese mutabili illius arbitrio submittere cogitur? Absit à nobis tale quid cogitare, quo Dei Gloria diminueretur ac homo plus quam decet, extolleretur. Ad hoc si satis attendissent Pelagianizantes, non ex propria *φιλανθία* aut cæco amore sui Deum sibi ipsis similiorem fecissent, quam par erat, neque sibi ipsis plus quam decuit, attribuisent. Dum vero hoc non animadvertunt, divinam minuerunt Gloriam, ut propriam extollerent, cum fingunt hominem independentem in operando, ac Deo Perfectissimo adscribunt humanas velleitates, Desideria, Voluntatem conditionatam, antecedentem & consequentem. Quod ex ipsorum Dogmatis abunde innotescit illi, qui ea primis degustavit labiis.

## XXXVI.

Sed eamus, per præcipuas Dei perfectiones, & quod diximus luce meridiana fiet clarius evidentiusque. Prima igitur Dei perfectio hic consideranda, erit Independentia, qua Deus menti offertur, ut *Ens Independentens*. Imo conceptus Independentiæ, qui in divina notione involvitur, agnoscitur talis, per quam à creaturis distinguitur, atque ex quâ quævis ejus attributa demonstrantur. Hinc Deus cum Independentens sit, Independentens quoque erit in volendo & operando, qui que operatur convenienter suæ Naturæ. Atque ideo Deo affingere decreta conditiona absolum prorsus foret, imo impium. Quid enim clarius est quam Decretum absolutum Independentens esse? Quid apertius, quam illud absolutum ab omni creatura quoad executionem, & præmotionem, exolutum esse hoc decretum? Decretum autem conditionatum è contra supponit creaturam jam velle, ac etiam certam liberi actus connexionem cum conditione, quam intervertere nequit, sed approbare tantum ratamque habere. Imo consequitur solummodo futuritionem conditionatam, consequenter in tantum non agnoscitur Independentens. Decernit nempe Deus, si Petrus in tali statu positus fuerit, hoc aut istud ager, idque non decreto antecedente, sed consequente & approbante actionis Petri futuritionem per scientiam Mediam prævisam. Itaque judicet ipse Jesuita de isthac sui decreti conditionati Independentia.

## X X X V I I I.

Sed *Secundo* cum hac Dei independentia pari passu ambulat ejusdem Primitas, quâ concipitur, tanquam Causa prima omnium rerum. Hinc rursus argumentor. Decretum conditionatum pugnat cum dignitate causæ primæ ergo debet statui absolutum. Quod ex eo apparet, quod supponit futura contingentia, futuritionem habere absque primæ causæ libera voluntate, idque contra Dei primitatem, qui uti est Ens entium, sic etiam primum verum. Quam ab rem à causa secunda nequaquam moveri potest causa prima, quasi futurum scire, ac velle teneretur, quod ab æterno se inconsulto futurum fuit. Habet certe Deus Independentens super omnia summam *ὑπεροχὴν* eminentiam, & in omnia absolutum jus & imperium; ergo & etiam absolutum Decretum. Removeatur ergo a Deo omne Decretum conditionatum, quod statuit res futuras ante ullum Divinæ Voluntatis actum; ut Dei non sit, ullum actum liberum efficere futurum vel non futurum, quippe cujus Voluntas, hominis libertatem consequi debet. Præterea *Tertio* simplicissimus est Deus, ergo etiam quia simplicissimus simplicissima agnoscenda est ejus voluntas. Hinc impossibile est distinguere inter voluntatem antecedentem & consequentem. Non habet Deus velleitates (venia sit voci) & desideria pro omnium fide & salute i. e. (ut loquuntur) voluntatem antecedentem. Nam habet Deus voluntatem consequentem, quæ à voluntate creata actuatur, per quam videlicet Deus vult, hominem hoc vel illud agere quia eum agentem videt. Vult agentem, quia agentem novit: optime! Sic consulendum erat Divinæ simplicitati.

## X X X I X.

Porro *Quarto*, quia Deus est æternus, sic ejus voluntas non potest non esse æterna, ut ante demonstratum est. Hinc apparet 1. non dari futuritionem ante Decretum, 2. nec Decretum concipi posse posterius volitione creata 3. sed illud præcedere omne futurum, utpote quod ex illo suam habet veritatem. Quæ æterna dum sit, in Deo æterno suum habet fundamentum atque radicem. *Quinto*. Destruit hoc Decretum conditionatum Immutabilis Dei voluntatem Immutabilem. Dum statuit futura ipsa reddere Deum volentem, ac volitiones in Deo antecedentes mutandas in consequentes ex prævisione actus liberi. Imo omnis Immutabilitas Dei, sive in præscientia, sive in voluntate spectetur, plane præstituitur, dum fundatur in mutabili libero hominis arbitrio: nam Deus novit ab æterno (quamvis & hoc ipsorum hypothese contradicat) quid Creatura libera actura sit ex conditione, & tamen Creatura mutabilis & indifferens.



ferens manebit ad agendum, quod contradictorium est. *Sexto.* Tollitur Omnipotentia Dei, si decretum non statuatur efficax & absolutum, sed vero conditionatum. Nam si actus liberi fieri debeant ante Dei Voluntatem ejusque potentiam (ut illi somniant) ne Deus per suam Potentiam, ac absolutum Dominium, quod in omnes suas Creaturas tanquam subditos exercet, efficere poterit, ut sint in tempore Plures actus volendi aut nolendi, quam de facto erunt futuri. Creatura enim manet semper libera & ad agendum indifferens. *Septimo.* Tandem perit omnis Dei Sapientia omnium rerum ordinatrix, si statuatur hoc Dei Decretum conditionatum. Quid enim divina sapientia de ordine volitionis humanæ statueret, quem Creatura pro concessa sibi libertate, quoties libuerit, intervertere potest; quippe quæ non potest non semper esse indifferens; suffecerit itaque, si Deus ordinem independentem à se constitutum, per scientiam mediam contempletur. Belle! sic Philosophandum erat pro libertate. Videant denique superbæ libertatis defensores, hoc suum dogma evertere omnem Dei Invocationem, adorationem, & cultum atque aded negare Deum esse omnissufficientem & adorabilem. Precibus, Laudibus, humiliationi, subjectioni sub manu Dei nullus reliquetur locus. Homo à suo Deo reddetur independens, ac etiam vel fortuna Dea in Solio collocabitur, vel Fatum Stoicum introducet, dumque homo Providentiæ divinæ subducitur, ipsis causis secundis subjicietur. Videant hæc adversarii & resipiscant.

## X L.

Attendamus denique ad res ipsas, Decreti conditionati objecta, ut capiantur Adversarii in sua versutia. Quæro an futura conditionata sint aut ex conditione certò & necessario futura, aut tantum contingenter. Si posterius, non sunt determinate futura, & debent redigi in ordinem possibilium: Deus non potest enim illa scire infallibili Sapientia, aut approbare certo decreto conditionato. Sic prius jam supponetur actus liber certo futurus ex conditione creata, sicque tollitur libertas indifferentiæ & inevitabile ac naturale fatum ex creaturarum concatenatione introducitur. Deinde conditio, ex qua actus liber concipitur futurus, est vel decreta à Deo vel non decreta. Si posterius, tollitur Providentia Dei circa plurimas res præstantissimas in Mundo existentes. Si prius, est decreta vel absolute vel conditionate. Si posterius & de hac conditione eadem instituetur quæstio, idque in infinitum. Si prius, ergo dabitur nostro sensu absolutum Decretum, de conditione ponenda, per interventum creatæ libertatis. Imo cum con-

conditio fit absolute decreta, erit etiam illud absolute decretum, quod ex illa conditione certo est futurum, ergo omne decretum absolutum erit, quod demonstrandum erat.

## X L I.

Non est ergo quod tantopere glorientur *Jesuita & Remonstrantes* de sua *Scientia Media* (quæ concipitur intercedere inter *scientiam simplicis Intelligentiæ & Visionis*) quâ Deus fingitur ante omnem actum suæ voluntatis prævidisse, quid Creatura posita in talibus, vel talibus circumstantiis, & statu, sit actura, cum tamen ipsa, si vellet, pro innata sibi indifferenti libertate posset agere oppositum; & quia illius statuuntur objecta, res ex conditione futuræ, inde nomen scientiæ conditionatæ & hypotheticæ sortita est. Penitus tam horrendum Dogma subverterem nisi ex ante dictis falsitas ejus clare innotesceret. Vide in hanc rem *Cl. Viri Melch. Leydeckeri*, Disputationem de Origine Scientiæ Mediæ sub ejus præsidio à me defensam in qua ostenditur scientiæ mediæ origo ex ipsis gentibus. Non est ergo quod Jesuitæ de hoc suo invento glorientur.

## X L I I.

Gravia multis videntur, quæ huic nostro decreto objiciunt Adversarii. Nunc Fatum Stoicum induci clamitant, sed satis fatue. Nunc auferri omnem contingentiam vociferantur, sed & hoc ridiculum prorsus est, si in memoriam revocentur ea, quæ supra de contingentia diximus, referenda sc. non ad Deum, sed ad causas secundas. Nunc libertatem naufragium pati inferunt, sed videant Adversarii, ne dum suæ libertati consulant, Dei libertatem evertant. Quid? An tollitur libertas quando dicimus Deum voluisse positivo decreto ut homo ageret libere? an confirmatur potius? Certe libertas indifferentiæ independens tollitur, at libertas complacentiæ confirmatur. Nunc tandem Deum statui peccati auctorem objiciunt. Verum omnis necessitas ex Decreto extrinseca solummodo est, quæ spontaneitatem intrinsecam minime aufert, qua Creatura illud omittit quod sui officii esse novit, idque ex propria malitia, deliberato consilio, absque ullo respectu ad hoc Dei decretum. Reliqua pro materia oppositionis relinquens hæc tria breviter observabo. 1. Falsum esse nostram doctrinam illis calumniis causam dare. 2. Nullam esse objectionem, quæ non retorqueri possit in Adversarios. 3. Deum esse infinitum, adeoque ejus actiones, ac vias nobis esse incomprehensibiles, hinc haud mirum esse, si in divinis perfectionibus quid occurrat, quod nostrum intellectum superat. Perfectiones ejus tales esse, quales demonstravimus, postulat ejus perfectissima Essentia, sed quales sunt docte ignoramus, idque convenienter finitæ nostræ Naturæ.

D

XLIII.

## X L I I I.

Cæterum pro modo concipiendi nostro Decretum Dei in se unicum, pro objectorum varietate cogitamus ut multiplex. Ordo igitur quem Deus in decernendo instituit in rebus decretis concipiendus est juxta Canonem. *Quod primum est in intentione, est postremum in executione & contra.* Nam in intentione finis est causa mediorum, cum media sint propter finem. Sed in executione, finis est ipsum quasi effectum, quod per media obtinetur.

## X L I V.

Denique pro varia objectorum diversitate, & nostro considerandi modo, varia decreti instituitur divisio. Primo. Alia est *signi*, alia *beneplaciti* hæc notat actum volendi prout in Deo est. Illa significat eundem actum quatenus eum nobis manifestavit Deus signo aliquo. Ita ut voluntas signi potius appelletur signum voluntatis. Signa communi versiculo comprehenduntur, *predicit, prohibet, permittit, precipit, implet.* Secundo. Sicut plurima sunt à Deo definita quæ nos latere vult sapientissimus Deus, dividitur etiam ideo voluntas, in *occultam & revelatam.* Quæ divisio priori affinis est, si non fere eadem. Tantum hic attendendum, ne putemus alteram alteri esse oppositam, quasi nimirum Deus voluntate revelata sive signi aliquid velit, cujus oppositum decreverit voluntate occulta, sive beneplaciti. Quod ut fiat, observa 1. distinctionem inter Præceptum & Prædictionem, illud conferatur cum voluntate Dei obligante cujus signum est. Hoc cum voluntate Dei decernente cujus signum est, & res clara erit. 2. Cave, ne extendas signum latius, quam quousque extendi debet; attendendum igitur, est an signum ex conditione non sit restrictum, an vero absolutum, aut an ex parte, aut ex toto revelatum sit.

## X L V.

Tandem, ut concludam, hæc omnia jam inserviunt ad confirmandam nostram fidem in duobus tam magnis articulis, Prædestinatione puta ac Providentia Dei æterna, ejusque actionibus divinis. Certe si vera sint, quæ demonstravimus, non potest non Prædestinatio concipi perfectissima i. e. æterna, efficacissima & peremptoria, immutabilis & absoluta, est quippe actus voluntatis Dei decernentis, qui sese hic habet, ut summus Dominus, hinc summam potestatem non potest non ostendere summus Rex in suo regno, tam morali, quam reali, per Providentiam suam, per quam secundum voluntatem, (quæ jam ante tempora seculorum rerum omnium futurarum rationes penes ipsum exactissime definitæ extiterunt) instituit curam suam circa creaturas jam productas, eas conservando sc. ac gubernando, adeo ut creaturas faciat manere in suo esse, earumque vires quotiescumque sunt operaturæ, efficaciter ad agendum excitet & applicet, potenterque cum causis secundis coöperetur, ac tandem earum actiones dirigat

dirigat ad suos fines, quos ipse æterno suo decreto prædefinivit. Sic tamen ut omnia tandem redeant ad manifestandam gloriam istius Principii, cujus abundantanti bonitati, & se & omnes suas actiones agentia creata debent. Ita demum omni modo patet Deus tanquam Alpha & Omega; quando qui in genere Causarum efficientium existit prima, à qua derivanda rerum quarumcunque generis, idem is in ordine Causarum finalium occurrit ultima, in quam terminetur omnis creatæ analysis. Polluant non uno modo tantarum rerum mysteria! irrumpant in hæc adyta importuna curiositate Adversarii! metiantur ad sui sensus hebetudinem, infinitam volendi vim Stolidi! atque hic Deum per omnia independentem ac supremum docere noscitur scopus fuit. In quo si quid erratum fuit, ipsa pietate erratum fuit; quâ quanto erraretur difficilius, tanto in his cogitationibus acquiescimus tutius.

## A N N E X A.

**I.** Non male describitur Philosophia, cognitio omnium rerum prout sunt. **II.** Ejus Principia sunt ratio, sensus, & auctoritas, tum divina tum humana. **III.** Nequaquam ergo ad veram sapientiam, ac universalem, consequenter & Theologicam via est, universalis sive de omnibus dubitatio, neglectus sensuum, & contemptus auctoritatis sacrae. **IV.** Philosophia statuenda non est sacra scripti. **Interpres.** **V.** Dividitur in theoreticam & practicam. **VI.** Qui masculam in Philosophia cognitionem desiderat imprimis imbuatur oportet Logica, Istrumento ejus utilissimo, ac prorsus necessario. **VII.** Quam obrem pessime de doctrina merentur, qui rejectâ logicâ statim ad ipsas disciplinas advolant. **VIII.** Metaphysica disciplinarum Princeps vere ab aliis disciplinis distincta est, ac studio Theologico utilissima. **IX.** Ejus objectum Ens, est maxime reale ac positivum. **X.** Habet Principia cognoscendi (non essendi) axiomata & veritates immutabiles. **XI.** Ad quas mutandas non habet se Deus æque indiffens ac ipsi indifferens fuit non creare mundum. **XII.** Quare de iis nullus dubitandi relinquatur locus. **XIII.** Ineluctabilenim scepticismo structur via, nec auferenda per Dei veracitatem, aut illud cogito ergo sum; cum entymema sit, ne principii quidem meretur nomen, ne dum primi. **XIV.** Tale est impossibile est simul, esse & non esse. **XV.** Ad Entis affectiones pertinet unitas qua ab identate non distinguitur, adeo ut idem sunt unum & idem. **XVI.** Secundo veritas. **XVII.** Cui apponitur error, qui statuitur in intellectu, non autem in voluntate. Præcipua origo ejus non est, quod voluntas latius pateat intellectu. Neque penes nos est, ne unquam erremus. Nec quicquam hic juvat clara & distincta perceptio ut norma veritatis. **XVIII.** Tertia entis affectio est bonitas cui adjungitur haud male alicubi & aliquando. **XIX.** Omnia mala Metaphysice

metaphysice bona. XX. Pneumatica recte à Metaphysica ac Theologia revelata  
distinguitur. XXI. Hujus objectum Deus tam Noëtice quam Dianœtice inno-  
tescit. XXII. Cujus an existentia recte ex Idea Dei demonstretur? dist.  
XXIII. Non datur Athei speculativi. XXIV. Nec de Dei existentia dubi-  
tari potest. XXV. Estque per essentiam suam non solum virtute omniprensens.  
XXVI. Nec potest fallere si velit. XXVII. Ejus Voluntas & Potentia in suo  
sensu formali distinguuntur. XXVIII. Spiritus Creati essentia non consistit in  
cogitatione. XXIX. Estque in ubi definitivo per essentiam. XXX. In Phyloso-  
phia morali lex natura bene consideratur ut instrumentum regni Dei moralis.  
XXXI. Illa non distinguitur à dictamine rationis practico. XXXII. Ejus exi-  
stentia æque nota est quam omnimoda hominis à Deo dependentia. XXXIII. Fun-  
damentum potestatis ejus legislatoria fundatur in natura divina eminentia.  
XXXIV. Cujus præcepta quedam sunt juris naturalis, quedam positivi.  
XXXV. Quod tamen naturali hujus legis sensui nihil detrahatur. XXXVI. Hæc  
lex omnes rationales Creaturas & solas obligat. XXXVII. ad Cujus essentiam  
pertinet sanctio penalis. XXXVIII. Ita ut inde innotescat peccatum impenitum  
non posse remitti. XXXIX. Politices principium non est à mutuo metu, cum  
status Natura non sit status belli. XL. Salus populi summa lex esto.  
XLI. An Princeps sit legibus solutus disting. XLII. An Tyrannis im-  
perio expoliari possit? affir. XLIII. Citra religionem resp. non consistit.  
XLIV. Quare Athei non sunt tolerandi. XLV. Optima forma reipub. ex inge-  
nio populi dijudicanda est. XLVI. Recte physices objectum statuitur Corpus na-  
turale. XLVII. Cujus principia intrinseca sunt materia & forma. XLVIII. Ra-  
tione materia competit corpori locus. XLIX. Estque spatium corpore repleum.  
L. Spatium non est ipsum corpus, sed vacuitas corporis capax. LI. Mutatio loci  
oritur ex motu locali. LII. Estque translatio corporis de loco in locum per vim  
excitatum. LIII. Hinc male dicitur esse mere respectivus. LIV. Mechanica est  
ars qua corporum motus facilitat per Instrumenta varia. LV. Que ad tria po-  
tissimum referuntur, vectim, planum inclinatum & trochleam. LVI. In his  
& similibus observanda est regula proportionis hæc. Motus parvus velox compen-  
sat motum magnum tardum. LVII. Vti Attronomiam utilissimam & jucun-  
dissimam judicamus, sic Astrologiam maxime ex parte vanam pronuntiamus.  
LVIII. Systema rychonicum cum S. S. sit conveniens nec nature adversum,  
Copernico & Prolomaico præferimus. LIX. Sol movetur. LX. Sol in Eclipse  
lunari nihil patitur. LXI. Circuli Horizon & Meridianus sunt mutabiles.  
LXII. Hinc disci possint eadem stella, eodem tempore oriri, occidere, versari  
in semimeridiano conspicuo, inconspicuo, ceterisque que plagis intermediis, gaudere  
diversissimis Almicanters atque à vertice distantia. LXIII. Hinc duo Ge-  
melli qui eodem tempore nati & mortui sunt, unus altero diutius vixisse dici potest.